



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

*EPISTULA DATA  
JOSEPHO S.R.E. CARD. SARAIVA MARTINS,  
CONGREGATIONIS DE CAUSIS SANCTORUM  
PRAEFECTO*

*Venerabili Fratri Nostro  
JOSEPHO S.R.E. Card. SARAIVA MARTINS  
Congregationis de Causis Sanctorum Praefecto*

Campinensis urbs ipsa in Brasilia brevi tempore illustrabitur currente videlicet mense Iulio, quandoquidem XIV ibi Eucharisticus Congressus Nationalis celebrabitur, quo cleris et christifideles, in unum congregati atque sententia ducti "Eucharistia, fons Missionis et Solidaritatis", in hoc ineffabile mysterium Corporis et Sanguinis Christi fidem propalam testabuntur. Omnes quidem Iesum "Panem vitae" merito confitemur, quoniam credimus hoc sacramentum divinum veluti "centrum" esse et "culmen" universalis vitae Ecclesiae, immo cor ipsum Ecclesiae, quo Auctor totius nostrae vitae continetur et ex quo spiritalem vigorem omnes haurimus. Ne vero tali ac tantae Eucharistiae celebrationi Noster delegatus quidam specialis desit, optata quidem explentes Archiepiscopi Campinensis, Venerabilis Fratris Gilberti Pereira Lopes, omnium pariter sacrorum Praesulum istius Episcopalis Conferentiae totiusque ecclesialis communitatis, praestantem virum mittere statuimus, qui personam Nostram illic tueatur praesentiamque Nostram significet. Quapropter hisce datis Litteris, te, Venerabilis Frater Noster, cuius iam pridem cognovimus doctrinae integritatem solidamque fidelitatem erga hanc fidei nostrae veritatem, *MISSUM EXTRAORDINARIUM* constituimus et renuntiamus, ut inter dies XIX-XXII proximi mensis Iulii Campinensi in urbe Nostro nomine et auctoritate sollemnibus illis sacris praesideas et congressionibus quae in tanto ecclesiiali eventu peragentur.

Per te igitur singulos consalutamus Congressus participes, nominatim sacrorum Antistites et sacerdotes, religiosos ac religiosas, laicos et laicas fideles, quibus omnibus mysterium

Eucharisticum proponimus vere universae christianaे vitae omnisque familiae culmen, quo "communicatur et alitur illa caritas erga Deum et homines, quae anima est totius apostolatus" (*Lumen gentium*, 33).

Ut autem ex Congressu Eucharistico illo copiosissimi percipientur fructus unitatis et pacis, Deum plurima prece obtestamur, dum haec cogitata Nostra tecum libenter studioseque communicamus et Apostolicam Benedictionem, cuiusvis boni caelestis pignus, tibi imprimis, Venerabilis Frater Noster, deinde cunctis Congressui adsistentibus libenter impertimus.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XX Maii, anno MMI, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.*

**IOANNES PAULUS PP. II**

© Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana